



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii  
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis  
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori  
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad  
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,  
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon  
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,  
apprimè utile ...

**Monacellus, Franciscus**

**Venetiis, 1706**

Descriptionis Baptizatorum Form. II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62406)

Nati ex Parentibus incertis.

FORMULA II.

**D**ie... mensis.... anni.... Ego N. Parochus Ecclesiæ N. baptizavi infantem natum in hac Civitate (vel alio loco) ex Parentibus incertis die.... hora.... (quatenus sciri potest) cui impositum fuit nomen N. Patrinus fuit N. in Parochia N. & Matrina N. Ex Parochia N.

Si autem sciatur Mater, scribatur nomen ejus, quatenus non adfit periculum infamię, cujus occasio semper tollenda est: Si verò infans fuisset expositus, neque constet per testes fuisse baptizatum, tunc scribatur in Libro, ut infra:

FORMULA III.

SUMMARIUM.

- 3 Expositi, an & quomodo sint baptizandi.
- 4 Quid agendum quando dubitatur de

validitate Baptismi.

- 5 Obstetrices debent esse instructæ, & approbatæ.
- 6 In collatione Baptismi adhibendæ sunt solemnitates, secluso periculo mortis; aliàs Baptizans peccat.

**D**ie... mensis... anni... Ego N. Parochus Ecclesię N. loci N. baptizavi infantem expositum in loco N. repertum ibidem ab N. & verisimiliter natum tribus ab hinc diebus, cui impositum fuit nomen N. Patrinus fuit N. & Matrina N. ex hac mea Parochia. (vel alia.)

2. Expositi enim absolutè, & absque ulla conditione baptizandi sunt quoties est omnimoda ignoratio de collato Baptismo, nec ulla datur in oppositum probabilis conjectura: Si verò haberent appensam collo, vel in alia corporis parte schedulam, in qua esset scriptum recepif-

se Baptismum, tunc sub conditione baptizari deberent, ut communiter distinguunt DD. relati à Romaguer. ad Synod. Gerund. lib. 3. tit. 18. cap. 7. à n. 9. cum seqq.

Si infans fuisset Domi baptizatus ob periculum mortis, qui postea decessit, scribatur in Libro sic.

FORMULA IV.

**D**ie... mensis.... anni... hora.... natus est infans filius legitimus, & naturalis N. & N. Conjugum hujus meæ Parochiæ, qui ob imminens periculum mortis postea secutæ baptizatus fuit Domi eorundem ab N. obstetrice approbata (vel alio) cui impositum fuit nomen N. Patrinus (vel Matrina) fuit N.

Si verò infans periculum mortis evasit, erit deferendus ad Ecclesiam, ut suppleantur cœremoniæ Ritualis, & tunc describatur in Libro sic.

FORMULA V.

**D**ie... mensis... anni... natus est infans filius legitimus, & naturalis N. & N. Conjugum hujus meæ Parochiæ N. qui ob periculum mortis baptizatus fuit Domi dicta die ab Obstetric approbata, quo tamen postea evasit, & delatus ad Ecclesiam, Ego N. Parochus explevi cœremonias, & preces prescriptas